

ita ut quandoque si ultra diem protraheretur executio sententiae, utique non vivi ad tempus consumptionis illius pervenirent, ratione subitae infirmitatis, quae illos opprimit, et perstringit. Ulterius cum ministrandum sit hoc Sacramentum damnatis ad mortem per modum Viatici, ut omnes Doctores consentiunt, et novissime Manara *loc. cit.* qui formulam assignat adhibendam: *Accipe, frater Viaticum Corporis, etc.* de ratione Viatici est, ut non jejunis etiam ministretur, in quo concordant omnes Doctores. Insuper Auctores hoc clarissime docent, et praecipue Emmanuel Sa V. *Eucharist. n. 2.* Gavant. *Man. episc. verb. Eucharistia. num. 49.* Fagundez *p. 3. l. 3. cap. 5. num. 21.* Possevin. *dict. notae ad cap. 8.* qui ait: *Hominum, praecepto Judicis occidendo, non jejuno non neganda Eucharistia, si differri mors nequeat.* In utriusque enim, naturalis, et violentae mortis articulo. Divino hoc remedio indiget Animus, Suarez *t. 3. d. 68. sect. 5.*

45 46 47 48 49 Ulterius multa sunt morborum genera, in quibus Infirmi non sunt communicandi, ad impediendam irreverentiam erga Sacramentum. Clericat *d. dec. 55.* quatuor enumerat. Si quidem alii respiciunt usum rationis, alii respirationem, alii deglutionem, et alii demum stomachi convulsionem. Prudens Parochus in his casibus, caute se gerere debet, ne permittat id, quod negari potest, vel neget quod concedendum est. Regulas de dignoscendis hujusmodi morbis diffuse habebis a Clericato, et a Zachia *Quaest. med. legal.* quas si vellem hic recensere, non una, nec bina pagina sufficeret. Unice dicam, non fidendum esse sententiae Barbosa *d. p. 2. c. 20. num. 43.* qui asserit Infirmo deliranti, qui propter febrem incidit in amentiam, seu Phrenesim posse Parochum ministrare Viaticum, si illum tempore usus rationis expresse petiisset, et signa confessionis, et contritionis ostendisset, etiam multo ante, modo non sit periculum irreverentiae: licet enim haec sententia corroboretur auctoritate multorum Doctorum ab eo allegatorum, nihilominus duco, quod non sit amplectenda, eo quia in phrenetico semper datur casus, et periculum irreverentiae: si enim phreneticus est, extra mentem est, nec illi ullo modo fidendum: ideo suppositum negando tanti Doctoris, absolute dico, non posse praebere Eucharistiam Infirmo phrenesi laboranti, quia nusquam durante phrenesi, cessat periculum irreverentiae. Tandem hoc unum addo ex Suar. *tom. 3. disp. 71. sect. 7.* et Squillant. *de oblig. Cler. pag. 2. num. 76.* non posse ministrari hoc Sacramentum sub specie Vini, si Infirmus non possit deglutire sub specie panis.

50 Ad majorem decentiam hujus Sacramenti, os Infirmi foetens ex ulceribus etiam malignis, sine tamen sputo, aut alia evacuatione, docet Benett. *d. corollar. 2. num. 8. pag. 150.* debere, Medico praescribente, abluere os ita foetidum aquis odora-

tis, morbo tamen non repugnantibus, ut saltem illo momento foetor non exhaletur.

§. VI. Caeteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistiae ante omnem cibum, et potum, non aliter ac caeteris Fidelibus, quibus, nec etiam per modum medicinae, ante aliquid sumere licet.

51 52 53 54 Non alia differentia interest inter fidelem sanum communicandum in Ecclesia, ac fidelem infirmum communicandum domi, nisi morbus. Si morbus iste est ad mortem, et mortem proximam, non refert, quod jejunus sit, ut communitur: sed si morbus sit chronicus, et non adeo gravis, sed talis, ut impediatur Infirmo accessus ad Ecclesiam, tunc jejunium rigore servandum ab illo est, si vult communicare, quia non nocet illi talis abstinentia, etiam si sit a medicamento, quia in hujusmodi morbis chronicis facili differri potest quodcumque medicamentum, si vere ex devotione Infirmus petit communicare. Devotio enim quae idem ac charitas est, omnia sustinere potest, nec nocet breve jejunium etiam a medicamento, quod quamvis non frangat jejunium Ecclesiasticum, tamen frangit naturale ad sumptionem Eucharistiae necessarium, et a lege praefixum.

§. VII. Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei praetextu ad ostendendum, non deferatur, etc.

55 56 57 58 59 Ad hoc servatur Eucharistia in Tabernaculo Ecclesiae ut adoretur, et ut Infirmis per Viaticum ministretur Barbos. Fagund. et Coninek *loc. cit.*; hinc est quod noster textus praecipit, ne hic ordo invertatur: inverteretur enim, si ad adorandum deferretur Infirmo, non ad sumendum Sacramentum. Adoratio in Ecclesia debet fieri cum nostro incommodo, quia respicit obsequium nostrum erga Deum. Sumpcio autem Viatici fieri debet in domo; cum incommodo (non dicam Sacramenti, quia Deus incommodum non patitur) sed ministri, quia haec ministratio respicit charitatem Dei erga suos fideles. Quamobrem decisum refert *Prax. Episc. num. 50. verb. Eucharist.* nunquam deferri debere Eucharistiam ad ae-

grotos, ut eam tantum adorent, si eam ob tussim, vel ob aliam causam sumere nequeant pro Viatico, Barb. *d. p. 2. c. 20. nu. 44.*

§. VIII. Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas aegrotantium Domos, decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste, atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia, et timore, semper lumine praecedente, etc.

60 Si de vestitu Clericali, non vero Sacro, loquitur haec Rubrica, prout videtur, sufficit, quod Sacerdos ministrans Viaticum, sit decenti, et consueta veste indutus, et in omnibus suis partibus perpolitus, circa praesertim caput, et manus, ut docuit jam prima Rubrica hujus Ritualis, §. 4. et notat Possevin. locis ibi citatis: Si vero de vestibus Sacris habeatur sermo; inferius dicemus ad §. 12. hujus Rubricae.

61 62 Modo de transferendo Sacramento ad domos Infirmorum aliquid dicendum est, quod deferendum aegrotis etiam in vili loco degentibus voluerunt Alex. Papa VII. *in Constitut. 48.* et Clemens IX. *in Constitut. 38.* Haec translatio pro maxima Dei dignatione haberi debet, qui intrare sub tectum miseri peccatoris non recuset; attamen cum Medici vices gerat, in hoc casu divina Misericordia more Medici se confert ad visitandum, consolandum, medendum Aegrotum, proxime ad aeterna loca transiturum, eodem pacto quo, ad domum Centurionis, ut sanaret ejus Puerum, se conferre voluit, quando longe distans, et verbo unico poterat id conficere. Vide plura apud Mancin. *d. pract. 8.*

63 64 65 Pro deportando Sanctissimo Viatico, Velum sericum albi coloris quaelibet Parochialis Ecclesia paratum habere debet, ad hoc, ut illo operiantur humeri Sacerdotis, atque tota Pyxis, non ut occultis humanis celatum remaneat Sacramentum, sed ut pulveris, et aeris injuriae arceantur, atque ut magis veneratio augeatur in circumstantibus; res enim, quae ante oculos patent, facile vilescunt. Acta *Mediol. Ecc. p. 4.* praescribunt quod conficiatur sex saltem pedibus longum, ut Parochi humeris aptatum, Sacramentum contegat. Ideo a Cavaller. *d. tom. 5. num. 20.* appellatur Velum humerale, et permittitur, ut possit confici ex tela linea alba, aliqua vitta ligatum ad pectus, ne ab humeris decidat.

66 Manifeste, atque honorifice deferendum est Sacramentum: dicitur manifeste, non quod hostia detegi debeat, et palam deferri, sed quod aperte videatur locus, in quo est. Ideo

subdit Rubrica: *ante pectus.* Non in Bursa, non sub vestibus, sed in loco patenti, quantum patere potest pectus hominis, adeo ut quicumque adoraturi sunt Sacramentum, oculos dirigendo ad pectus Sacerdotis, videant relevatam Pyxidem licet velatam, et humerali obductam, dicantque, ibi est Hostia consecrata, et per consequens corpus Domini nostri Jesu Christi.

67 68 69 70 71 De honorificentia, reverentia, et timore quo deferri debet hoc Sacramentum, nihil dicam: sufficit, ut Sacerdos animadvertat serio rem, quam agit, et prae manibus gestat, nempe deum Creatorem, et Judicem suum. Ad honorificentiam facit, si gravi incessu procedat, non vero praecipiter currat: non enim Viaticum tenetur deferre Parochus ad Infirmum prope moriturum, si timeat fore ut illud non possit ministrare, nisi valde festinanter currat; nam cursus nimis festinans videtur repugnare reverentiae, et honorificentiae tanto Sacramento debitae, et decentiae, atque honestati Clericali, nec praeceptum administrandi Eucharistiam Infirmo videtur de jure Divino, aut Ecclesiastico introductum cum periculo, ut Parochus fatuus videatur, et irrideatur, Barbos. *d. p. 2. cap. 20. num. 45:* Secus vero dicendum est de Baptismo, et de Poenitentia, quia cum ista duo Sacramenta sint de necessitate medii, omnem curam debet adhibere Parochus, ut praesto sit ad unum, vel ad aliud Sacramentum ministrandum etiam non integre vestitus, caelo pluvio, acri frigore, et quocumque non obstante periculo. Ratio est, quia Proximus censetur in extrema necessitate propriae salutis, S. Thom. 2. 2. *q. 185. art. 5.* Recte tamen faciet Parochus in casu Viatici si festinet, non autem si currat, quia festinare non est actus indecens.

72 73 Honoris etiam tanti Sacramenti inserviunt lumina. Fideles usque ab initio Ecclesiae utebantur Cereis accensis, ad quem effectum Acolythorum ordinem recognovit, ut testantur SS. PP. Cyrillus, Epiphanius, Anastasius, Hieronimus, Augustinus, et alii congesti per Casal: *d. cap. 42.* Certe major cultus Deo debetur, unde curare debemus, ut etiam in hoc institutiones veterum PP. imitemus.

74 S. Carolus, *Act. P. 4.* jubet ut in casu Viatici, Familia Aegrotantis obviam procedat cereis accensis, omni pietatis cultu. Pariter insinuat, ut Parochus agat cum unoquoque Patre familias, ut ipse ad Ecclesiam Parochialem ad comitandum tantum Sacramentum conveniat, aut saltem filium natu majorem, aut omnino aliquem ex Familia, ob eam causam mitat; habeatque praeterea Domi unam, pluresve candelas, quibus in hoc pietatis Christianae officio utatur.

75 76 Cum vero ista lumina aeri exposita, et itinere agita vento, vel pluvia superveniente facile extingui possint, atque ideo cultum debitum Augustissimo Domino auferre, usque a temporibus S. Caroli institutae fuerunt quaedam Laternae cum

suis hastis, et cum intus accensis candelis, hinc inde circa Sacerdotem, qui Sacramentum gestat, deferendae, quarum Lateranarum usu fit, ut lumem intro inclusum non extinguatur, et semper ardeat. Quem usum satis providum nuper, nova Constitutione, (non tamen de Viatico loquente, sed de Processione solemnī in die Corporis Christi) confirmavit, restituitque SS. Pontifex Benedictus XIII. in Concilio Romano, *T. 15. cap. 7.*

77 68 79 Curam igitur habere debet quilibet Parochus, ut saltem quatuor hujusmodi Laternas paratas habeat, quarum formam praescribit S. Carolus, *Act. et Cavaller. d. tom. 5. num. 24.* quae deferantur a Confratribus SS. Sacramenti, si instituta adsit in illa Ecclesia talis Confraternitas: Secus vero deferantur ab honestis, grandiusculisque personis, quae valeant illas rite, ac recte gestare per totum iter conficiendum.

§. IX. Parochus igitur processurus ad commnnicandum Infirmum, aliquot Campanae ictibus jubeat convocari Parochianos, seu Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti (ubi fuerit instituta) seu alios pios Christi-fideles, qui Sacram Eucharistiam cum cereis, seu intorticiis comitentur, et Umbellam, seu Baldachinum, ubi haberi potest, deferant.

80 81 82 De Campanis multa scripsit, et adnotavit, Gavant. *p. 1. tom. 20. lit. c.* Pulsantur istae non tantum ad laetitiam exprimendam, sed et ad cultum SS. Sacramenti; imo ut audientes homines confugiant ad Ecclesiam, Corset, *Index Rational.* In casu nostro debent pulsari distincto modo ab aliis, ut Fideles percipiant, signum esse Viatici deferendi: ideo Rubrica subdit: *aliquot Campanae ictibus;* ubi nota verbum illud *aliquot*, quo significatur non debere dari hoc signum, et hos ictus per integras horas, ut mos est in aliquibus Parochiis, quibus incessantibus ictibus potius arcentur, quam invitentur Fideles ad interessendum huic longo pietatis officio. Bene stare itaque, si per brevem pulsationem in mane, vel in vespere daretur signum futuri Viatici, pro mane, vel vespere superventuro. Sed Populus antecederet de hoc ritu admonendus esset.

83 Praecipue, ultra quoscumque Fideles invitantur ad hanc functionem Confratres SS. Sacramenti, si ibi talis Confraternitas fuerit instituta, quae magni levaminis esse solet in Parochialibus functionibus.

84 Ista confraternitas SS. Corporis Christi instituta fuit pri-

mo in Urbe a Paulo Papa III. sub anno 1539. die 30. Novembris: estque vigesima inter suas constitutiones, et incipit: *Dominus noster, etc.* quod factum fuit pro decentiori tanti Sacramenti veneratione, cui elargitus fuit multas indulgentias tam pro ea, quam pro aliis Confraternitatibus ubique locorum institutis, et instituendis, necnon Confraternitati Urbis aggregandis futurum.

85 86 Festivitatē vero SS. Corporis Christi prius instituerat Urbanus Papa IV. anno 1262 *Constit. 1. Transitorius, etc.* Confratribus hujus Societatis praecipuum munus datum est, ut associentur Processiones cum SS. Viatico, non excludendo tamen quoscumque alios Fideles, qui ad Ecclesiam confugiant, hac occasione.

87 88 Lumina associantia SS. Christi Corpus, dummodo e cera proveniant, sive sint candelae, sive cerei, sive intortitia, Ecclesia admittit, et approbat, ea non tamen si sint ex materia sebacea, seu oleo cujuscumque generis: excepto quod in lampadibus oleum permittitur, non ob aliud nisi ob diurnitatem, quia diutius servantur ardentes lampades, absque renovatione, et necessitate custodiae, quod non eveniret in candelis, nisi essent cereo Paschali majores.

89 90 Quot intortitia habenda sint in Parochiali Ecclesia ad usum Eucharistiae ministrandae, praescribunt *Acta mediol. pag. 4.* Numerus desennarius communior esse solet etiam in Parochialibus exiguioribus, et non adeo divitibus. Ista Intortitia debent distribui Personis dignioribus, et grandiusculis, quae ad associandam Sanctissimam Eucharistiam accedant.

91 92 Sed ad Umbellam descendamus. Hanc praescribit *Conc. Prov. 5.* per allegat. a Gavant. *Man. Ep. numer. 44. Verbo Eucharist.* Cujus autem materiae, et formae debeat esse, vide Cavallier. *dict. tom. 5. num. 23.* ubi etiam praescribitur ejus magnitudo, et circumferentia his verbis. *Oltre ad Baldachino mentovato (de quo infra) è necessario a tutte quasi le Chiese Parrocchiali della Diocesi un'altra piccola Ombrella, per le accadenze di dover portare il Santissimo, massimamente agl'Infermi per luoghi e strade scoscese, ed anguste. Sia pur ella tutta di seta di color BIANCO, colle sue trine, senonché dalla parte superiore al di fuori potrà essere ricoperta di sottil tela incerata biancheggiante (per le occurrenze di pioggia.) La forma poi sia qual'esser suole delle Ombrelle, che comunemente si adoprano, ma sia più larga, tanto che distesa venga a dilatarsi diametralmente quattro palmi, e mezzo in circa. Abbia le sue fasce d'intorno, che pendano con proporzionata lunghezza della stessa materia, colle frangette nell'orlo, e l'asta sia così lunga, e così adattata, che sostenuta da chi va die-*

*tro al Sacerdote, venga l'Ombrella ad ampiamente distendersi sopra'l capo del medesimo.*

93 94 De Baldachino autem ideo hic in Rubrica mentio fit, quia supponit, non adesse Umbellam, quae si adesset, tunc Baldachini cessaret usus. De facto Umbella est magis consona negotio viatorio prout est Viaticum: Baldachinum vero ad processiones adhibetur, et majorem numerum portantium requirit, quando Umbella ab unica tantum persona defertur.

§. X. Praemoneat, ut Aegri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua Sanctissimum Sacramentum decenter deponatur.

95 96 97 98 Cessarunt tempore Fel. Mem. Innocentii Papae XII. pene omnes istae provisiones de paranda mensa, et linteo mundo ad ibi deponendum Sanctissimum Viaticum in cubiculo Aegroti; ex quo nonnulla monita, et decreta promulgavit, in quibus Parochorum diligentiae totum id commisit ordinavitque, ut quisque conficeret Baldachinum parvum portatile plicandum pro commoditate, et explicandum in Domo Aegroti cum caeteris suppellectilibus ad hoc necessariis, in libello inscripto italice: *Regole, et Istruzioni, che si devono osservare nell'accompagnamento del Santissimo Viatico, Romae 1695.* Nihilominus de hac Rubrica ut aliquid dicamus, mone re debet Parochus habitantes in domo Infirmi communicandi, quod quantum fieri potest, mundent a quibuscumque sordibus non tantum cubiculum, sed etiam cubile, in quo jacet Aegrotus, demonstrando illi dignitatem tanti Sacramenti, et magnitudinem Regis Regum, pro cujus accessu munda deberent esse omnia et nitida.

99 Sed de hoc generaliter dici debet: in particulari enim datur saepissime casus, ut haec mundities haberi non possit, cum quandoque necesse sit deferre Viaticum (praecipue in Villis) alicui Infirmo, in stabulo, seu super foenile, aut in alio viliori, et sordidiori loco jacenti. Tunc Parochus, si cohabitantes hoc non valeant prestare, secum deferre debet Mensam, et linteum mundum, ut minus indecenti modo Pyxis collocetur, donec Sacramentum ministret.

§. XI. Parentur luminaria, ac duo Vascula, alterum cum Vino, alterum cum Aqua: praeterea linteum mundum

ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cujusque facultate.

100 101 Bene dixit Rubrica, *pro cujusque facultate*: nam locus quandoque datur, in quo ista commoda ad munditiam abundant, et locus, in quo omnia desiderentur. Quare similiter hic dico, prout dixi in antecedenti Rubrica de mensa, et linteo: Luminaria si non adsint, deferat Parochus, eo magis quia credendum est, per verba *Luminaria*, intelligi debere Laternas, de quibus in §. 8. satis diximus; aut Candelabra, et candelas saltem binas, *Act. Med. 4.*

102 Vascula bina pro Aqua, et Vino sint parva, et vitrea, sufficit enim, ut tantum humoris capiant, quantum sufficit ad purificandos digitos Sacerdotis, ut dicemus §. 25. hujus Tituli. Aqua tantummodo necessaria est, imo Vinum esset omnino excludendum, ut eodem §. 25. demonstrabo suis rationibus. Quare S. Corolus, *Act. 4.* unum Vasculum tantummodo praecipit ad abluitionem usum.

De linteo mundo servabitur eadem regula juxta facultates communicandi, cui debet supponi mento, et explicari ante pectus, ut in casu tussis impetuosae, vel vomitus repentini, in illo recipiatur Eucharistia.

103 Addam denique, ubi haec omnia desint, paranda esse apud aegrotum a sodalibus Societatis Sanctissimi Sacramenti, qui hoc charitatis officium faciles ministrabunt.